

loco, vulgò *Esseberg* dicto, eminet, cum trepidatione incolarum eam peruasisse. Porro quo autore, quouè tem-  
pore primùm condita sit hæc Vrbs, in incerto relictum est. Certum tamen hanc primam atque antiquissimam  
Cymbrorum, Phrindusiorum præsertim, quos *Prolo-mæus* vocat, sedem extitisse. Quod & *Tacitū* innuisse ex-  
istimo, vbi Castrorum meminit, quorum vestigia in Ripa maris suo æuo ( paulò post natum Christum ) perhi-  
bet mansisse. Vnde veteris famæ, ingentis gloriæ, manus gentis, actam magni exitus seu exercitus eorum fidem  
metiendam iudicat. Nominis *Ερμουν* peperit maris vicinia, eamque condendæ primùm Vrbi occasionem, pro-  
certo, existimauerim. Argumento esse possunt, tum ipsum Emporium, olim hic celeberrimum, tum parietiu-  
næ multiplices splendidissimorum ædificiorum, quæ his ipsis mutuis commerciorum tractatibus destinata cõ-  
gnoscimus. Vt taceam interim vicorum nomina, à Flandris, Anglis, Gallis, atque alijs exteris nationibus indi-  
ta, hodie etiam vsurpata à nostratibus. Primùm apud Ripenses vera Christi Religio in hac regione sedem fixit.  
Ea illata ab Anglis primitus, studio *Lefdagi*, primi huius Ecclesiæ Episcopi renouata atque publicè vnà cum  
Baptismi solennibus tradita est hoc littore Niptici fluenti, in quo etiam tandem Martyrij coronam adeptus  
scribitur. Primùm à Slesuicensi Ripense conditum est templum, rudius, vt autumo ab initio, sed temporis suc-  
cessu, in eam iam creuit amplitudinem, vt nulli huius patriæ aut cuiusuis nationis, sit inferius. Facit illud admi-  
rabile, testudo rotundior, solerti artificio chorum, quem vocant, vniuersum tegens ac ambiens. Firmitatis ma-  
iestas multitudine columnarum secto de marmore affabrè concinnatarum elucet. Splendorem mirum quen-  
dam in modum auget, præter ipsam totius ædificij molem, vna præcipuè turris, quæ partim marmoreo, partim  
latericio opere, forma opulenti quadrata, in altitudinem muri solius CVI. vlnarum nostratium eucta, con-  
spiciendam se exhibet, procul Vrbe ad sex miliaria nostratia. Hic quorundam Regum Daniæ conditæ reliquæ,  
In vicinia Lectorium Theologicum & Bibliotheca publica. Gymnasijs triuialis quoque binæ ædes ampliores,  
quæ vicinam habent curiam, deputatam loci Episcopo. Is amplissimæ totius Daniæ præest, Diœcesi, continen-  
ti Ecclesias CC. LXXXIV. Hic prima apud nostrates excudendi libros officina aperta est. Primum quoq; Ca-  
nonicorum Collegium vetustissimis, vt fert, canon noster, munitum priuilegijs, nobilium regni æqualibus.  
Non minor certè fuit propensio summorum Regum Daniæ exornandi ciues incolas legibus, ac plebiscitis mu-  
nicipalibus. Vt quemadmodum in prædictis primas semper obtinuerunt nostri Ripenses, ita legum quoque &  
disciplinæ grauitate, cum iusta harum executionis seueritate, à sapientissimis magistratibus administrata, pal-  
mam meritò tulerint. Ea res locum dedit prouerbio, vt saltem nominatis legibus ac iudicijs Ripensibus  
nihil quicquam grauius ac iustius innui, vulgo existimatum sit. Ingenia Ciuium valida & acria.  
Summum apud omnes ordines mundiciei studium. Hanc ceu Deam, qui non colat, pu-  
blico subiacet opprobrio. Matronis ac Virginibus ingenita comitatur, præter to-  
πρῆπται simplex ac decens quædam morum grauitas &c. De quibus om-  
nibus alibi vberius! hæc indiguisse ad tuam voluntatem ac  
iussu, cui me totum dicaui, Amplissime Domine  
Cancellarie, hoc loco, æquo  
lectori sufficiant.